

201

occurrunt, illustrarunt jam Sen. Bonarrotius *Vetr. Ant. Tab.* 24. fig. 2. & P. Lupi in *Comment. ad Epitaph. S. Severæ.* Inscriptionem claudunt anchora & avicula, Christianorum symbola, quorum, aliorumque quæ deinceps occurrunt, ab Auctoribus Romæ subterraneæ, a quibus plenissime illustrata sunt, explicatio erit petenda.

C L X I.

Sanctas genorofæ Martyris reliquias marmor hoc clausisse, palma in eo sculpta docet; V. Cl. Boldett. *lib. I. cap. 53. & seqq.*

C L X I I.

Dolendum sane pulcherrimam, pluribusque rebus scitu dignissimis refertam Inscriptionem ab impiis hominibus, quos appellare possem, tam sæve truncatam fuisse. In Christianorum Monumentis non raro femina manibus expansis representatur, orationis symbolum, ut Viri docti animadvertunt. Supra ipsius mulieris caput hieroglyphicum quoddam visitur, quod nusquam alibi me deprehendisse memini: fortasse Sacrosanctum Divinæ Triadis Mysterium exprimere felices illi Fideles voluerunt, cui in perpetuis precibus inhærere tenemur; Columba ramum olivæ præferens frequens est; non ita frequens ciuitula Sacris Evangeliorum Voluminibus recondendis accommodata. Additur ultimo loco panis quadrifidus, quo ineffabile Eucharistiæ mysterium denotasse Christianos nemo nescit.

C L X I I I.

Præclarissima hæc Inscriptio non huc Româ advecta fuit ut reliquæ omnes Christianæ; eam enim in cella vinaria egregii Chirurghi Philippi Bertuccioli fortuito a se repperam, Passerius noster, sumptibus, precibus, laboribus minime parcens, Musæo suo adjungendam curavit. Inde suspicari possumus in Cryptas Pisarenfes aliquando penetrasse aliquem, atque ex iis pretiosum marmor detulisse. Faxit Deus ut quemadmodum his ipsis diebus Veterum Pisarenfium Sacrum Lucum infanientis populi Votis, Idolis, Aris, Oblationibus refertum, post tot sæcula detegere mihi contigit, ita vere Sacra Christianorum Monumenta reperire etiam contingat, eaque osculari, primosque illos Christi Athletas, quorum fan-

C c

guine